



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 3. Duo vincula fortius ligant, quàm unum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

causam productione & conservatione dependere, tandiu cedat
libitur moraliter existere, & conservari, donec à voluntate
per contrarium actum revocetur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Sicut Sponsalia non possunt contra-
hi sine utriusque Sponsi consensu; ita nec dissolvi sine utrius-
que consensu posse, uti communiter docent Authores.

Deducitur 2. Sicut conjuges mutuo consensu se ad co-
habitandum obligarunt, ita mutuo consensu etiam Matri-
monium quoad thorum (non quoad vinculum, quia hujus
conservatio ab eorum voluntate non pender) dissolvere pos-
sunt Laym. & alii cum communi docent.

Deducitur 3. Posse etiam cohabitantes conjuges per
mutuum consensum obligationem debiti reddendi remitte-
re, & votum castitatis edere, uti iterum conveniunt Do-
ctores.

PRINCIPIUM III.

Duo Vincula fortius ligant, quàm unum.

Sensus.

Hoc est, quando duo actus aut circumstantiæ obliga-
tionem inducentes in aliquo subjecto concurrunt tum præ-
valent vinculo simplicem duntaxat obligationem inducen-
ti, si quidem utrumque vinculum etiam in his circumstan-
tiis pariter obligationem possit.

Authoritas.

Desumptum est ex authenti. de consang. & uterinis in
princip. item ex §. sed hodie Instir. de adopt. junctâ glossâ in
v. Jura. illudque approbant communiter Doctores, teste
Schnei devvein in l. 1. tit. 1 r. ff. sed hodie n. 2.

Ratio.

Quia ipsa æquitas naturalis exigere videtur, ut, ubi
duæ obligationes concurrunt, prævaleant simplici duntaxat
obligationi.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Sponsalia Impuberum juramento
probabiliter confirmari, ita ut rescilire non possint, cum ad an-
nos

nos pubertatis pervenerint, uti Dicastill. d. 1. n. 494. cum Sanch. & Hurtad. docent.

Deducitur 2. Si posterioribus Sponsalibus copula accedat, ab his probabiliter priora Sponsalia dissolvi, uti Ferd. de castro p. 5. d. 1. pu. 22. n. 5. cum Pontio, Rebello & alii docet.

Deducitur 3. Si Matrimonium primis duobus mensibus consummatum sit, non licere amplius Religionem ingredi alterutri conjugi sine alterius consensu, sicut ante consummationem, quando ratum duntaxat erat Matrimonium, licet.

PRINCIPIUM IV.

Errantis nullus est consensus.

Sensus.

Hoc est, Si quis circa ipsam causam motivam erroret, potestque adesse bonitatem, ob quam in aliquem actum consentit, cum tamen illa non adsit, tum hoc ipso censendus est absolute in talem actum non consentisse.

Authoritas.

Desumptum est ex le. 116. de reg. Juris §. 2. ubi dicitur: Non videntur, qui errant consentire. Item ex le. si per errorem 15. ff. de judic. & le. non idcirco 9. Cod. de Juris & facti ignorantia, illudque refert, & defendit Barbosa axiom. 1. cum plurimis aliis.

Ratio.

Quia cessante causa cessat effectus, ergo cum error quoad substantiam, causam seu motivum principale cessare faciat, mirum videri non debet, si ipse quoque consensus velut effectus illius irritus dicatur; unde merito in cit. leg. si per errorem dicitur, nihil consensui tam contrarium esse, quam errorem.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Matrimonium & Sponsalia nulla esse, si cum errore circa substantiam versante contractum sit, uti S. Thomas Sanch. Suar. Laym. & alii communiter docent apud Ferd. de castro p. 5. tr. 28.

Dedu-